

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg
Flachs, Sigismund Andreas**

Lipsiae, 1714

VD18 11446064

§. XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

Luce p. m. 161. quoque advertunt. 4.) τὴν κιδσάν uti Com-
mel. τὴν Δικιδών, uti Rom. & τὴν Γιδσών, uti Alexandr. legit, sunt
vitiosa, verumque nomen conservavit Codex Oxoniensis,
qui κιδμῶθ exhibet. 5) Complut. & Rom. μαφά, & Alexandr.
μασφά, etiam rejicimus, autoritate Oxoniens. Codicis, qui
μαφάθ legit. Confer de duobus ultimis Collectiones An-
golorum ad nostrum locum. Sic habemus versionem cum
Hebræo Codice convenientem, quam Græbius glossæmatis
obelo notatis supra proponit.

§. XIX.

Consideratis Græcis versionibus, dum ad Latinas ac-
cessum facimus, quæstio solvenda erit, num Hieronymus
in Codice suo Hebræo, ex quo Latina hodierna translata
sunt, nostros versus invenerit? Hic, quoniam divortia
sententiarum dantur, doctissimi Benedictini Tom. I. oper.
Hieron. p. 275. in annotatione Josuæ libro subnexo, negati-
vam amplectuntur, autoritate antiquorum Codicum indu-
cti. Apud Latinos, inquit, sunt dissidia bene multa: abest
enim integer ille versus 36. in MSS. antiquioris & melioris notæ,
puta in Regio MSto Codice, num. 3563. Colbertino Aniciensium.
157. Corbeiensibus. & 10. & in uno S. Germani n. 157. Denique
exscriptor Canon. Hebr. veritatis ad fidem alterius exemplaris
castigatioris suam emendans, universa verba hæc litura delevit,
ut similia quedam argumenta. Tres tantummodo habemus re-
centiores MSS. Codices Bibliorum, qui legunt comma prædictum,
prout extat in Vulgata nostra Latina; non tumultuario ordine
Bibliorum Roberti Stephani, & Theologorum Lovaniensium, ubi
prius commemorantur urbes Gaditarum Meraritis concessæ, quam
Rubenitarum, in quo peccavit etiam Syrus interpres, recensens
urbes in tribu Ruben, ante eas, quæ fuerunt e tribu Zabulonis.
His ita observatis, manifeste apparet, exemplaria Hebraica Hi-
eronymi aliqua sui parte fuisse mutila, nec versus omnes Biblio-
rum habuisse adscriptos: quia si fuisset in iis vers. 36. hujus cap.
XXI. Josuæ, latine illum Hieronymus reddidisset, & in antiqui-
oribus editionis latine sancti Doctoris Codicibus reperiretur, in
quibus abesse, supra monebamus. Sed licet in multis, & qui-

dem antiquissimis Codicibus latinis defectus nostrorum versuum sese exerat, nobis tamen minime videtur, ex eo certo inferri, in Codice Hieron. Hebræo eos non esse lectos. Cuilibet enim constat, Codices Latinos multis retro seculis secundum Hebraicam veritatem h. e. secundum Codicem Judæorum esse emendatos. Hoc refert Baron. ad Annum DCCLXXVIII. p. 340. *Sed & quod præstat cæteris*, scribit, *eidem Carolo M. debemus ingens opus illud ab Alcuino sive Albino elaboratum, quo totius divinæ Scripturæ tam Veteris, quam Novi T. vulgata editio emendata est. Acciderat enim, ut ipsa multiplicium Librariorum exscribentium vitio, mendis obstructa jam vilesceret. Quod periniquo animo ferens Carolus, ut quam emendatissima ederetur, in pristinamque vindicaretur integritatem atque splendorem, studio propensiori curavit. Cujus rei fidem facit, ejus in Capitularibus intextum elogium his verbis: Volumus, & ita Missis nostris mandavimus & præcipimus, ut in Ecclesiis libri Canonici veraces habeantur; sicut jam in alio Capitulari sæpe mandavimus: Hec ipse, qui, ut quod omnes refigerent ob nimiam difficultatem, omnino perficeretur, opus delegavit Albino ut absolveret. Qui in id ipsum viribus totis invigilans, universam divinam Scripturam e VETUSTIORIBUS ac VERIORIBUS FONTIBUS descriptam, recognitam & emendatam eidem Carolo M. obtulit. Ex hoc cognoscimus latina Biblia ad Hebræos codices esse emendata. Facile vero contingere potuit, ut correctores latina cum codice hebræo deficiente conferentes, versus omitterent, quos Hieron. bona fide transtulerat. Etsi enim illi, uti supra ostensum, seculo X. demum in Codicibus Hebræis desiderari cæperunt, eo tamen tempore errorem non novum, sed inveteratum fuisse, credimus, qui, si adhuc recens, a R. Haj ex aliis Codicibus, facile esset sublatus. Nec obstat, quod Benedictini exemplar MS. Canonis Hebraicæ veritatis prætendant, in quo nostros versus abesse memorant; notum enim est, teste Sigeberto Gembl. in Chron. ad An. DCCXC. *Correxisset Alcuinum divinam historiam jussu ipsius Regis. Et in Libr. de Script. Eccl. tradit idem, jussu Imperatoris illum divi-*
nam*

nam Bibliothecam correxisse. Neque dubium de linguæ Hebrææ notitia superest, sine qua ejusmodi emendatio suscipi non potuit. Teste enim Thegano de gestis Ludovici Pii Imperat. p. 277. Tom. II. Scriptor. Histor. Franc. ab Andrea de Chesne editorum, ipse Imperator Carolus M. in ultimo vitæ sue anno, & ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optime correxit quatuor Christi Evangelia. Prævaluisse seculo IV. V. VI. VII. VIII. Codicem Hebræum Latinis & Græcis versionibus, hasque ad illum emendatas esse, fuse docet Hodius de Biblior. textibus origin. Part. II. cap. IV. seqq. ubi etiam certiores reddimur, quod sec. IX. X. & XI. Latinis Bibliis emendandis Codices Hebræi præcesserint. Nec dissententur hoc ipsi Benedictini, qui Tom. I. Proleg. II. §. 5. Stephanum Abbatem Cisterciensem II. laudant, quod Codices Latinos ad Hebræorum instar correxerit, adduntque censuram, a Mabillonio ad calcem Tom. IV. Operum S. Bernardi col. XI. & XII. adjectam, ex qua hæc proferre sufficiat: Unde nos multum de discordia librorum, quos ab uno Interprete suscepimus, admirantes Judeos quosdam in sua scriptura peritos adivimus, ac diligentissime lingua Romana inquisivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus ille partes & versus, quos in prædicto nostro exemplari inveniebamus, & jam in hoc opere nostro inferebamus, quosque in multis aliis historiis Latinis non inveniebamus; qui suos libros plures coram nobis revolventes, & in locis illis, ubi nos rogabamus, Hebraicam sive Chaldaicam Scripturam Romanis verbis nobis exponentes, partes vel versus, pro quibus turbabamur, minime repererunt. Quapropter Hebraicæ atque Chaldaicæ veritati, & multis libris Latinis, qui illa non habebant, sed per omnia duabus illis linguis concordabant, credentes, omnia illa superflua prorsus abrasimus. In apicem ergo posita est origo, ex qua deficientes Latini Codices promanarunt. Monachi Cistercienses, qui præ reliquis pietatem, uti constat, affectarunt, stimulo ejus incitati Codices suos ad illos Judæorum reformarunt, quod factum ineunte Sec. XII., quo defectus nostrorum versuum in Codicibus Hebræis per R. Haj erat approbatus. Nisi itaque aliæ afferantur

ratio.

raciones, quibus iste defectus in Hieronymi Codice demonstratur, non existimabimus, Benedictinos nostros versus jure omisisse in splendidis istis Hieronymi operibus. Porro Benedictinorum sententiam de Hieronymi Codice approbat *Montfaucon. in Bibliis Hexaplis Originis*, Tom. I. p. 221. sequentia nostris verbis subjiciens: *Hæc nomina, inquit, quæ spectant ad tribum Ruben in Hebræo desunt: Et jam tempore Hieron. deerant, nam is interpretationem LXX. hic ad literam sequitur.* Sed videtur Clar. Virum Versionem Græcam cum Latina non accurate contulisse, alias vidisset dissentire Latinum a Græco. Hic enim quater καὶ τὰ περιώγια δυνῆς addit, quoties in Hebræo legerat; Sed in Latino tantum semel legitur: *cum suburbanis suis.* Contracti enim sunt præterea duo versus in Latinis in unum, quos Græcus divisit. Et quoniam ejusmodi contractiones versus in Latinis alibi observamus, v. g. in eodem capite vers. 32. 29. 27. &c. nulli dubitamus, etiam nostros versus ab Hieronymi manu esse translatos ex Hebræo Codice. Convenientiam nominum priorum cum Græcis non curamus, quia in MSS. illa maxime variant. Et quia versus nostri in Codicibus quibusdam sunt omisi, cum ad Hebræos deficientes reformarentur, facile contingere potuit, ut ex Græca restituerentur nomina propria.

§. XX.

Etiam si enim in quibusdam MSS. Latinis ad Masoritarum Codices castigatis, nostri versus non reperiuntur, suppetere tamen plures, in quibus illi legantur, certum est. Ipsi Benedictini in allegata annotatione tria producant MSS. quæ versus nostros continent, non in verso ordine, uti in Lovaniensium & Roberti Stephani editione, in qua Gaditarum urbes illis Rubenitarum præponuntur, sed eo, qui in Codicibus Hebræis obtinet. Unde concluditur, Codices hebræos MSS. ad fuisse, secundum quos versus ordo sit constitutus. Idem confirmant MSS. Latini, quos *Franc. Lucas Brugensis* inspexit, qui in Notationibus ad h. l. scribit: *Pleraque Latinorum exemplarium tertio loco habent: primum enim civitates, quæ filiis Merari ex Zabulonis sorte datæ sunt, enumerant, dein-*